

tificiorum asyla, priuilegia impunitatis habentia, ac proinde animū, & calcar maleuolis, ad quodvis facinus patrandū addentia) verum innocentibus & iis tantū qui non *en ἀεὶ ἁμαρτάνουσιν*, sed contingenter aut errore peccauerant, paratæ. Nocentes enim adeò frui illis non poterant, vt vel ab altari ad commeritas pœnas sint abrepti, vt videre est Numer. 35. 6. & c. Deut. 19. 1. 2. 3. Ios. 20. 9. 1. Reg. 1. 53. & cap. 2. 31. 34.

Vt igitur vnde digressi sumus redeamus, grauissimè peccauit Pilatus, in gratiam Iudæorum, prudentia politica, & carnali vsus, à iustitiæ trami te paulatim recessit, donec abreptus est eò, vt contra conscientiam eum quē non semel antea innocentem pronunciauerat, iniustissima sententia etiam ad acerbissimam & ignominiosissimam mortē crudeliter damnarit. Et huc tandem deueniant oportet, qui in iure dando Deum non verentur, sed vel prudentiæ suæ confidunt, vel authoritate abutuntur, vel superciliosè se legum Dominos arbitrantur. Cum timore igitur, & reuerentia ius tractent, quos tribunalib. præfecit Deus, timentes tum Dei iudicium extremum, tum piorum accusaciones, & infamiam etiam in hoc mundo. Indelebilem enim maculam nomenque detestandum, & exosum apud omnes posteros Pilatus hoc iudicio iniquo sibi attraxit, *daß alle vnd jung/groß vnd klein/von dem Gottlosen Richter Pontio Pilato singen/vnd fassen werden / so lang Himmel vnd Erden seyn werd.* Ita in perpetuā detestationē nominis Achabi, & vxoris eius Iezabelis, iniquum illud iudicium, quod in gratiam pestilentiss. istius mulierculæ aduersus innocentem Nabothum iudices Israelis eum occidendo exercuerunt. 1. Reg. 21. ad longū describitur. Sicut è cōtrario in perpetuā, & nunquā interituram laudē, & gloriam Danielis Prophetæ literis proditū est, quod in fontem, & castam Susannam è manibus impurorum senum ereptam, vero, & exacto suo iudicio seruauit, senes verò talionis lege, ad præscriptum verbi Dei, cum omnium applausu mulctauit. Ita etsi nihil præclarissimo suo genere, & regia maiestate dignū ferè in tota vita Cambyses designauit, hoc vnū tamen iustitiæ exemplum historici in ipso